



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

**SANDAKANENSIS\***

IN MALAESIA NOVA CONDITUR DIOECESIS SANDAKANENSIS APPELLANDA.

Missionalem per navitatem Deus piene glorificatur, dum homines salutare Eius opus, quod in Christo perfecit, conscie et plene accipiunt (cfr *Ad Gentes divinitus*, 7). Haec Concilii Oecumenici Vaticani II verba in praesens Nos impellunt ut singularem vertamus mentem ad fideles in Malaesia degentes quos Nos precibus comitamus divina adiumenta a Domino nostro iis efflagitantes. Eorum denique spiritales perspicientes necessitates, de nova cogitavimus dioecesi ibi instituenda. Idcirco quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, partem orientalem territorii dioecesis Kotakinabaluensis distrahimus, ex qua novam dioecesim appellandam Sandakanensem erigimus. Limites novae dioecesis finibus constituuntur territorii civilis v.d. « Sandakan » et « Tawau ». Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v.d. « Sandakan » statuimus templumque ibidem extans, Deo in honorem Sanctae Mariae dicatum, ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Sandakanensem Metropolitanae Ecclesiae Kuchingensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Salvatorem Pennacchio, Archiepiscopum titulo Montis Marani et Apostolicum Delegatum in Malaesia, deputamus, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo*

*septimo, Pontificatus Nostri tertio.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 9, pp. 784-785 © Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana